




103

Keferstein



RECTOR
ACADEMIÆ LIPSIENSIS
 Ad
DOMINUM
AUGUSTUM RUDOL-
PHUM KEFERSTEINIUM,

Ileburgensem Misnicum,
Juris Utriusq; Studiosum,

Hora III. pomeridiana

rite humanum

Proceres ac Cives Academicos
compellat.



X 205506





Um præterlapsis diebus canicularibus æstus & vehementior & diuturnior corpora mortalium ureret, ut sudore fere diffuerent, viribus debilitarentur, languerent & ægre haberent, contigit non paucos ægrotare & emori. Erant inter illos plerique, qui aut quotidiani victus pravitate, aut potus frigidi frequentiore haustu, aut fructuum horariorum ingurgitatione, ægrotorum ac morientium numerum improvide auferent. Atq; hoc malum, non tantum in hac urbe, & vicinis locis, sed & per universam Germaniam fere grassabatur. Id qui imperitissimi non animadverterant aut intellexerant, proprias has esse ægrotudines Urbi nostræ sibi imaginati, aliqui ad externos literis divulgaverant, aliqui propere à nobis aufugerant, aliis æque rerum ignaris suspicionem contagiosorum apud nos morborum facientes. Sed quam inanis fuerit metus, & fallax opinio rumorque, prudentes Viri statim noverant, cæteris autem eventus nebulas vanæ imaginationis dispulit. Etenim ad temperiem deinde redeunte aëre, & ægrotantium & morientium numerus ubique decrevit, tantaq; salubritas DEI bonitate & gratia per Germaniam rediit, quanta auctumnali anni parte esse non solet. Latini veteres auctumnum morbiferum agnominarunt, & jamdudum ante Aristoteles Problematum vigesimo septimo, Sectione prima, ver & auctumnum morbosum esse asserens, auctumnum vere graviolem observavit. Nimirum tunc à chronicis morbis languidi percunt, non secus ac folia arborum decidunt,

Ὅμηρος Φύλλων γε ἐν, τοίν δὲ καὶ ἀνδρῶν.

inquit Homerus, celebri versu, quem adeo admiratus est Pyrrho Eliensis, teste Diogene Laertio in vita Pyrrhonis. Causas ejus auctumnalis affectionis indagat Ludovicus Septalius, Medicorum Mediolanensium princeps, in Commentariis ad Philosophi Problemata, quas in Medica arte versatis discutiendas permittimus. Nos auctumni nostri bonitatem commendamus, qui adeo salubris nobis existit, ut quasi jam illi, quos ipse à vita ablaturus erat, sibi prærepti essent, ita à consuetudine naturæ suæ recessit. Nunc demum funus Academicum Juvenis Studiosi indicendum est, quem lenta hæctenus tabes absorpsit, & tandem vita privavit. Is est à diligentia & morum probitate commendatus, Dominus AUGUSTUS RUDOLPHUS KEFERSTEIN, Juris Utriusq; Studiosus. Qui ut vitam bene transegerit usque ad finem vitæ suæ, pro more recepto exhibendum est. Lucem aspexit in vicina civitate Ileburgi, anno sæculi septuagesimo tertio,

tertio, die undevigesimo Januarii, mane dimidia tertia. Patrem habuit DN. JOHANNEM RUDOLPHUM KEFERSTEINIUM, Electoralium Saxonorum reddituum ex viarum publicarum usu praefectum, avum vero maternum DN. CHRISTIANUM KEFFERSTEINIUM, Celsissimi Principis Anhaltini olim Quaestorem. Mater illum peperit Domina ANNA MARIA, nata Dom. Ludovico FABIANO REUDNITZIO, Serenissimo ac Potentissimo Electori Saxoniae à redditibus bellicis. Eadem priori marito KEFFERSTEINIO, cum quo viginti duobus annis concorditer egit, defuncto, secundis nuptiis DN. HENRICO LINCKIO, Chimico celebri & Pharmacopæo in hac urbe dexterrimo ad insigne Leonis aurei, copulata ex voto vivit. Majores alios à quibus mater originem ducit, vitae integritate & munerum spectabilitate olim honoratos, non commemorari placuit, ne recensio longa vani honoris aucupandi gratia instituta esse videri queat. Nostrum, cum infantem peccato à conceptione & nativitate contaminatum Christiani Parentes scirent, mox lavacro regenerationis purgari instituerunt: puerum, quam primum annis capacem viderunt, non solum ipsi Dei agnitione, precum studio atque virtutibus imbuerunt, sed etiam, ut idem Praeceptores in Schola patria literarum primordia docendo simul facerent, curae cordique habuerunt. In pueritiae annis, egregios cum indolis atque ingenii boni, tum magnae ad studia propensionis signa exhibens, parentes permovit, ut studiis ipsum consecrarent. Exacto igitur anno aetatis undecimo, Pater ipse filium Halam Saxonum, anno octuagesimo quarto, die duodecimo Julii adduxit, atque fidei Gymnasii Praeceptorum commisit. Hic bonas literas juvenis alacriter tractare vix inceperat, quando die vigesimo sexto ejusdem mensis parens dilectissimus è vivis eriperetur. Magnum quidem sufflamen in exordio adolescentis studiis videbatur injectum, ac tantum, ut ipse coeptum deserere, ac aliam artem faciliore sumtibus parabilem amplecti posset. At mater ipseque providentiae divinae diffidere nequaquam voluerunt, sed quod deliberato & precibus ad DEUM praemissis orsi erant opus, continuandum ac perficiendum decreverunt. Quare adhaesit fidelissimis suis Praeceptoribus, M. Johanni Jennichio, Gymnasii Collegae quarto, M. Israeli FINCKIO, Collegae tertio, M. Christiano Albrechto ROTHIO Conrectori, & praeter ceteris M. JOHANNI PRÆTORIO, Reçtori egregie merito, quorum dexteritate in humanioribus literis ac philosophicis disciplinis integro sexennio adeo profecit, ut ipsi viri illi Informatores ex institutionibus suis aptum judicarent, ad vitam Academicam capessendam. In quem finem urbem hanc ingressus, à DN. CHRISTOPHORO PFAUZIO, Professore

Zc 915. FK.

fore Mathematicum, Rectore tunc Univerſitatis, in album Academi-
cum inſcriptus fuit. Quamvis autem Jurisprudentiæ ſe conſtitue-
rat dare, ac philoſophiæ principia ex Gymnaſio ſecum attulerat, at-
tamen ut in eadem amplius progredereſtur, Scholas privatas philoſo-
phicas & hiſtoricas aliquas prius frequentavit. In Juris autem ſtu-
dio præ cæteris Informationi DN. D. ANDRÆ MYLII, Inſtitutio-
num Imperialium Profeſſoris Publici, Academiae Syndici, & Facul-
tatis Juridicæ Aſſeſſoris, Sympatriotæ ſui ſe credidit. Hujus & alio-
rum lectiones intentus ac ſtrenuus obibat: meditando ſubinde re-
petebat, distribuēbatque in cellas ſuas, quæ audiendo acceperat. Quo
modo in ſtudiis occupatus deditusque, Matri ſuæ amantiſſimæ ac
omnibus ſuis conſanguineis, magnam excitavit ſpem cum & aliæ
virtutes in ipſo eſſent, quæ eruditionem exornarent, ac gratam ſaluta-
remque aliis efficerent. Pius erat, probus, ſincerus, ſuperiores cole-
bat, parentes obſervabat, cognatos amabat, erga quoscuſque humi-
lem & modeſtum ſe exhibebat. Cæterum ab ineunte ætate tenera
fuit complexione corporis, ac ad phtifiſin facile inclinabili. Eadem
quoque cum annis invaleſcens, ante paucas ſeptimanas tuſſim pedire
quam ſuam, pulmonibus exitialem, ac plerumque præambulam
mortis ſecum tulit. Adhibiti conſeſtim in conſilium Medici, reme-
dia accurarunt ſedulo, quæcunque ad erigendum & ſanandum æ-
grotum valida cognoverant. Verum ad ſalutem parum ſpei relin-
quebatur, viribus quotidie de creſcentibus. Quod ipſe ſentiens om-
nem curam eo convertit, ut emigraturæ de corpore animæ recte
conſuleret. Peccata ſua ex animo agnoſcebat, apud DEUM deprecā-
batur, ac per fidem in Chriſtum eorum remiſſionem ſe accepſiſſe fir-
miſſime credebat: inſtabat orationibus, de vita æterna ſermocinaba-
tur, atque in maxima corporis imbecillitate atque ſummo languo-
re, patienti & robuſto animo exſpectabat diem, horam, momentum,
quo Pater cœleſtis animam ad ſe in æternam beatitudinem reciperet.
Nocte etiam, quam ultimam habuit, inter preces & cantiones le-
ctum circumſtantium devote ac placide recubuit, donec dimidia
hora ſexta matutina, die vigefimo ſexto Octobris plane deficeret, ac
ſpiritus emitteret. Vixit octodecim annos, decem meſes, tres ho-
ras. Hujus beate defuncti corpus hodie hora Tertia pomeridiana
ſepeliendum eſt. Vobis itaque incumbit, Proceres ac Cives Acade-
mici, officium funebre libenter & cumulate præſtare. Quod ut
faciatis, etiam atque etiam admonemus. P. P. die XXIX.

Octobr. Anno Æræ Chriſtianæ M. DC. XCI.

LIPSIÆ, Literis JOHANNIS GEORGI.

1077

11

FR. 599. (13)

Kat. 14
103

Zc
915

Keferstein

Im preteritis diem curricularibus
suis & vehementer exultantibus
vultus in se habere sic dicitur
contingit languent & gachabent conti-

RECT ACADEMIÆ LI

Ad
DOMIN
AUGUSTUM
PHUM KEFERS

Hebargensem M
Juris Utriusq; Stu

Hora III. pomer
rite humanit
Proceres ac Cives
compella

BIBLIOTHEK
PUNICKAV

UNIVERSITÄTS- & BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)



X2055006

